

quendam jecoris affectum sæpius pullulantem, ad cutim trahere commodissimum erit; & internas particulas à prava sarcina sublevare est pariter admodum salubre.



*POST QUAM DE CARNE vipera, ut medicamentum est, hucusq; tradidimus, modò de ea tanquam de cibo ex ea comparando, & ejus conditionis secundum variam hominum temperiem & usum.*

CAP. XXVIII.



**Q**UOD viperina peculiarem virtutem habet corroborandi concoctivam facultatem tertie quæ in membris perficitur, ejusque usu vitam extendere; sensus custodit, & viventem, ut Avicenna pro-

prodidit; denique quod maxime mirum videri potest, senectuti etiam hæc caro sæpe præsidio est, & in esu delicatiorem jus album paratum & aromatibus conditum, laudatissimum perhibetur. Judæus indecoctione viperæ sal novum apponit, quando ossa à carnibus dissolvuntur, anethum quoque viride non ficcum apponit; præparatur etiam alio modo, quod alibi præterivimus, carnes viperæ in furno admodum calido, pane sublato, sicque eas exiccato, ea tamen forma ut in pulverem conteri possit, quem electuariis, seu aliis antidotis regimini resumptitico conductibus adjectum senibus porrigito. Gabriel Zerbus in Gerantocomio cap. 50. sed præstantiorum tamen earum usus est, si ex viperinis carnibus ita præparatis gallinæ & pulli nutriantur, & capi præcipue illi, qui ustis pedibus castrantur, ut docet Columella, farina hordei exhibita cum lacte, aut pane trito, aut testudine

dine contrita cum milio, vel cochleis, aut cucumerum seminibus ad æquandum hominis temperiem, precipuè cordis, cui præstantissimum præfert auxilium. Nemo etiam dubitat cordi hilaritatem, ac jucunditatem afferre, inæstítiamque auferre, venenis, venenatisque morbis omnibus adjumento esse, & valetudinem conservare posse, & pravis accidentibus corpus repletum evacuat, & vacuum replet, & omninò cunctis virtutibus robor præstat. Jacobus Weckerus lib. I. cap. 19. antidoti specialis; viperinæ carnes si coctæ edantur claritatem oculis afferrunt, nervorumque vitiis auxiliantur, incrementes strumas reprimunt. Porro si Galeno lib. .I I. cap. I. credendum est, utebantur olim trochiscis viperinis contusis denuò vibratis, & rursus in lævorem redactis cum jure, salis nonnihil adjicientes præparati ad suavitatem, quod sal theriacum dicitur adurebant, & similiter in the-




theriacæ præparatione, ut manifestè apud Gal. apparet convenire unicuique temperamento, alioquo decocto congruo attemperantes, non solum servatos ad usum Trochiscos, verùm etiam carnibus recentibus uti possumus eodem exemplo, & validè digerentem facultatem habere, viinque ad cutim trasmittendi recrementa, & humores corruptos & venenatos, ut pluries dictum est superius, carnem viperinam non solum nos alere; verum etiam & alterare posse, sed cum sua natura si sit in veru torrefacta, aut crate ferrea prunis apposita siccabit, magis præcipuè si vetustior, aut effæta sit; si multo sale theriaco, aut albo aspergatur, quare senibus ita præparata minus competet, aut siccioris temperaturæ præditis, sed his cum multa ptisana, aut hordei cremore, aut feminum communium & cucumerum omnium, prius tamen elixa in aqua cum sale, & herbis calidis contrita,

&

ET FACULTATIBUS. 143

& p̄infata exhibeatur. Si vero corpus exiccare volueris, ut supra uti oporteret pulvere viperæ in furno exsiccatæ, & si alimento calidiori opus sit in vino excoquere, & herbis calidioribus admiscere erit necesse, aut aromatibus condire, vel assisuti illitis sapa, & aromatibus, hinc inde lauri, aut saluix̄ positis foliis. Si verò refrigerare, hoc idem nutrimento volueris elixare in aqua cum endivia, & cichorio, cum immatura uva, aut omphacio ex mespilis seruato gallico more cum sale. Si vero humectare plurimum volueris, cum lacte recente multo elixare, aut cum cucurbita, aut lactucis decoquere. Si verò plurimum nutrire, exhibero, uti supra dictum est, gallinis, capis more majorum exustione pedum non testium extractione effectis cum farina hordei, & lacte cucumerum seminibus, pariter erectis Viperis exhibeamus, quæ hecicis conferent, consumptis exhibentur. Patet igitur non solum

lum nutrire, & in longum vitam protrahere, verum humanum corpus ad libitum confirmare, aut ad contrarium immutare posse: totque modis, quot præparari expediret, aut recenti, aut servata viperæ carne.



*CUR IN DISVETVDINEM*

*abierint vipera superioribus  
seculis.*

CAP. XXIX.



Proxime superioribus seculis ea omnium hominum cæcitas erat, & animorum vecordia, ut etiam quæ oculis conspicerentur

& sub aspectum aut intuitum cadere solent, gravissimo cum errore dignoscerent, ad eò à longa illa Gothorum, & barbaricarum gentium in Italianam transmigratio ne subsequuta vasti-